

in documento celebrantur. (f) Wolfgangus ab Holneck dotalia pacta inter Andream de Trübeneck & Margaretham ab Holneck condita, referente Illustri Kainachio, Anno 1467. Sigillo suo munivit. (g)

(a) *Archiv. Stat. Austr. num. 1004.* (b) *Ibi num. 1027.* (c) *Ibi num. 1128.* (d) *Ibi num. 1158.* (e) *Ibi num. 2991.* (f) *Ibi num. 3209.* (g) *Manuscript. Genealog. Baronis de Kainach.*

CAPUT LIII.

BARONES LEYSSERI.

Barones Leysseri Origine Styri sunt, quamvis nonnulli ante tria secula bona & imprimis castra pagosque Ober, und Nieder, Leiß in Austria possederint. Johannes Leysser Castellanus in Waldstein Ernesto Lobminger Nobili Viro litem movit Anno 1403. (a) Ille ipse Johannes Leysser testis adstitit transactioni inter Georgium Polheimium & Johannem Dynastam ab Ehrenfels erectæ Anno 1411. (b) Erasmus Leysser Abbas Zvvetthalensis in Austria vendidit bona quædam Wilhelmo, Marquardo, Balthafari & Floriano Fratibus Dynastis de Khuenring Anno 1531. (c) Scutum Leysserianum ex quatuor areis consistit, in prima & quarta nigra duæ Lunæ falcatae dorsis obversis latera respicientes ex auro fulgent, quæ tessera gentilis est. In secunda & tertia areola cærulea aureo colliculo (alii viridem substituant) tricipiti insistit vitis ex eodem metallo, palmitibus duobus in decussim trajectis cum singulis uvis. Quæ insignia stirpem Austriacam Nüziorum (Nüz) denotant. (d) Nüzia enim Familia Anno 1642. extinctâ teste Austriæ matricula Equestri, ubi sic legitur: Nüz abgestorben Anno 1642. Leysseriæ genti hanc tesseram utpote vacantem Imperator cum eam Baronum Ordini adscriberet, concessit. Galea coronata anterior scuto imposita sustinet tres erectas struthionicas plumas nigras inscriptis lunis scutariis. Posterior gerit alam protensam cæruleam impresso scutario typo, quam veteres, ut diximus, Nüzii olim gestarunt.

(a) *MSC. Kainach.* (b) *Archivum Statuum Austriæ num. 1802.* (c) *Ibi num. 3678.* (d) *Videatur Fürstli Wappenbuch Part. V. pag. 33. & pag. 60.*

CAPUT LIV.

BARONES DE NEUHAUS.

Neuhusiorum nomine tres distinctæ Familiæ in Provinciis Austriacis superbiunt. Neuhusi Austriaci Barones in Her-  
 N n tenstein